



Perillustri et Nobilissime DOMINE,


Vincat quaeso importunitatem meam tua Humanitas,
 ut pro filio meo IUSTO CAECILIO, ejusque genero
 IOANNE PIERCYO liceat scribere, novisque litteris
 fidem publicam, tutelamque Principis, atque Ordini-
 num, te favente, implorare. Hoc agitur, ut securi-
 tatis tessera filius incipiat hostis non esse: socer
 ejus ostendat se non fuisse. Alterius petitionem,
 alterius causam si examinas, summam utramque
 dixeris aequitate librari. Frustra repeto, quae fuisse
 nuper exposui. Iuris autem Piercyam documenta
 DOMIVS cognatus noster, civis Dordrechtanus exhibet,
 vir e melioribus, et Litteris quoque egregie
 excultus. Praedium Vtsemium a socero iam filius
 meus accepit, sedem inibi rerum suarum cum uxore
 collocaturus, Rerum, imo et studiorum: quem-
 admodum Musae ruris otia amant. Tantum be-
 neficium a securitate domicilii pendet: quam cum
 filius impetrabit, mihi existimabo datam esse;
 datam Litteris, quae nullum nisi apud Barbaros
 hostem inveniunt, tuo autem se glorientur patro-
 cinio armorum violentiam non timere. Potuit
 aliquando Gener meus in municipio Boeckhoviano,
 tuo favore, tutus esse: erit, ut spero, in praedio
 Vtsemio filius, et suam, et parentis quietem No-

bilissimae Humanitati tuae debituras. Ita vale, et
 nos bea. Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Decemb.
 Affectu, cultu, obsequio TVVS
 E. Puteanus.

Ms. 17c. xxxviii.

Hug. 37.

ARSPICIA Bibliothecae
 publicae Lovaniensis,
 quae scripsi, mox mis-
 surus sum, novisque
 Centurias Epistolarum.
 Domum tuam quando videbo?



etc.
 In de...
 ...
 ...
 ...
 ...

Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the paper.

Perillustri Nobilissimoque
Domino
D. CONSTANTINO HUGENIO,
Serenissimo Principi Auriaco
à Consiliis et Secretis,
etc.

Hagansom.

